

*Doc. 51 (Robertus etc. Roberto Morello
militi iusticiario Basilicate fideli...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 51 (Robertus etc. Roberto Morello
militi iusticiario Basilicate fideli...)*

1317-09-15

Robertus etc. Roberto Morello militi iusticiario
Basilicate fideli nostro etc.

Cum Iohannes de Cauda habitator Potencie olim custos
foreste Lacuspensulis et heredes quondam Rogerii
de Aresio dudum custodis foreste sancti Gervasii
teneantur et debeant de proventibus forestarum ipsarum
debitam ponere nostre curie rationem, fidelitati tue sub
pena unciarum auri decem districte iubemus, quatenus
statim receptis presentibus unicuique ipsorum sub pena
unciarum auri viginti ex parte nostre maiestatis iniungas
ut per totum ultimum diem presentis mensis septembris
ad tardius cum quaternis cautelis et scriptis omnibus
ac residuo toto in pecunia que exinde habent et habere
debent in nostra curia se presentent posituri inde primo in
camera nostra summarie ac successive coram magistris
rationalibus magne curie nostre finalem et debitam
rationem ac satisfacturi eidem curie de toto eo in quo
per rationem eandem apparuerint debitores. Et nisi
de presentatione eorum ad premissa infra dies decem
dictum terminum immediate sequentes tibi constiterit
per nostram licteras responsales tu statim nullo a nobis
proinde alio expectato mandato pecuniam dicte pene de
bonis ipsorum que habent in iurisdictione tua pro nostra
curia exigas ab eisdem et exactam ad cameram nostram
mictas nostris thesaurariis assignandam, significaturus
nobis per licteras tuas formam presencium continentes
diem iniunctionis tue cum pene impositione et quicquid
inde duxeris faciendum.

Datum Neapoli in..... Anno domini
MCCCXVII die XV septembris prime indictionis
regnorum nostrorum anno nono.